



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.20. S. Witichindus convertitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

divertit, ubi diutius commoratus Regu-
lam S. Benedicti didicit. Quippe animo
constituerat, in Fundo suo paterno Mo-
nasterium condere. Duobus annis &
dimidio in Italia consumptis in Frisiam
rediit.

§. XX.

Witichindus convertitur.

Cum interea Carolus Rex Saxones mul-
tis cruentis præliis tres annos con-
tinuos vicisset, post quartam demum ex-
peditionem anno 785. cristas posuerunt.
Witichindus & Albion, præcipui Re-
bellium Duces, facta sui deditioe At-
tiniaci Regi se sistunt, ubi Pascha cele-
brabat, & baptizati sunt. Plures alii
conversi, multi apostasiam damnantes ad
sinum Ecclesiæ redierunt. Tunc igitur
S. Willehadius relicta solitudine Epter-
nacensi Regem Carolum Eresburgi adit,
mandata accepturus, quibus suffultus Ev-
angelium in Saxonia denuo prædicaret.
Jussit Rex, ut in Regionem Vigmodum
rediret, in quo loco jam antea laborave-
rat, & ejus jam tunc Episcopus dice-
batur, quamvis esset tantum Presbyter.
Utque S. Virum in suis ærumnis Rex so-
laretur, ei exiguum Monasterium in Fran-
cia, quod Justina dicebatur, contulit.
Ergo S. Willehadius iterum Fidem pu-
blice annunciare, destructas reparare Ec-
clesias,

*Ann. Petav.
Loisel. Fuld.*

*vit. S. Vill.
c. 8.*

Sæcul. VIII.

A. C. 785.

*vit. S. Ludg.**Lib. I. n. 18.**Sup. Lib.**XL. l. c. 1.**v. Coint. an.**789. n. 9.**Boll. 30.**Apr. c. 11.**p. 802.*

clesias, & in locis commodis explorata virtutis Viros constituere, qui populos docerent & regerent. Cum etiam Rex comperisset, S. Ludgerum ex Italia reversum eximio animarum zelo flagrare, eidem provinciam demandavit in quinque Frisonum Regionibus ad Orientem positus usque ad Labecam amnem populos erudiendi. Imo Rege consentiente trajecit in Insulam inter Frisiam & Daniam sitam, in qua Deus nomine Fostus adorabatur. Ibi Delubris solo æquatis Ecclesiam ædificavit; Incolas autem, quos converterat, baptizabat in illo fonte, in quo S. Willibrordus viros tres abluerat, & de quo aquas haurire non nisi vocem prementibus fas esse Gentiles stulta Religione credebant. Ad hæc tempora statim post conversionem Wittichindi ad Fidem Catholicam duorum in Saxonia Episcopatum Mindensis & Verdensis fundatio refertur. Primus Mindensium Episcopus fuit Herimbertus, atque hæc Ecclesia Metropoli Coloniae subjecta est. Verda, ultra Visurgim ad Orientem, Moguntia subesse iussa, primum Episcopum habuit S. Suitbertum, quem aliqui ex ignorantia eundem esse putarunt, ac Sancti Willibrordi Socium jam anno 713. defunctum. Hæc duæ Sedes anno 786. creduntur erectæ.

Carolus Rex felicem eventum, & Sæcul. VIII.
 conversos ad Fidem Saxones Hadriano Pa- A. C. 785.
 pæ nunciari iussit, misso Andrea, quem Coit. an.
 Abbatem Luxoviensem fuisse credunt, 785. n. 12.
 petebatque, ut Litanias seu publicas
 Supplicationes imperaret, quibus debitæ
 Deo Gratia redderentur. Idque Papa
 lubentissime concessit. Item Rex Papam *Epist. 91.*
 consuli iussit missis aliis duobus Abbati- *Carol.*
 bus Itherio ad S. Martinum Turonensem,
 & Magenario ad S. Dionysium in Fran-
 cia, quam pœnitentiam injungi oportet
 Saxonibus, qui relapsi susceptam se-
 mel Fidem iterum abjecissent. Respon-
 dit Papa: *Antecessores Nostri decreve-
 runt, Relapsis in Idololatriam longissimi
 temporis pœnitentiam esse injungendam,
 quæ tamen magis contritione cordis quam
 temporis spatio esset æstimanda.*

Ergo ex Hadriani Papæ verbis di-
 spicimus, hanc pœnitentiam ex Episco-
 porum pendere arbitrio, & pensandum
 an peccator propria malitia relapsus fue-
 rit, aut a quoquam alio impulsus. Ce-
 terum Pœnitentes Confessionem Fidei
 tradant, jurejurando promittant, se ei
 adhæsurus, & quæcunque Episcopi præ-
 ceperint, facturos.

§. XXI.

Episcopi in Monasteriis.

Quædam exstant Privilegia his duobus *to. 6. Conc.*
 Abbatibus Itherio & Magenario ab